

bus nationibus : conspicua sit futura, quomodo fulgur includi vel excludi se non patitur, sed illuminat totam terram et penetrat etiam per fenestras ac rimas domorum. Quisquis ergo in ea Ecclesia se constitutum videt, quæ per universum orbem micat, vel certe micuit, tametsi hodie forte in quorundam terris exulet : ibi hæreat, ibi pedem figat; neque ad solitudines et penetralia hæreticorum exeat. Quia in re perelegans Ecclesiæ typus fuit domus Rahab, Jos. II. quæ quia legatos Hebræorum abdidit et incolumes dimisit, privilegia immunitatis donata est ab Hebræis, ita ut vastata urbe Jericho, sola illa domus, et qui in ea habitarent incolumes manerent. Etenim primo Rahab latitudinem significat, et Ecclesiæ velut fulguris diffusionem in omnes terras notat : *Quæ est ergo latitudo, inquit eo loco Origenes, nisi Ecclesia hæc Christi quæ Isa. XLIX. (XX.) dicit : Augustus est mihi locus; fac spatium ut habitem.* Secundo, Rahab legatos Hebræorum exceptos domi suæ magno studio tutata ab hostium manibus, sub lino textit et ad domus suæ superiora evocavit; ita : *Ecclesia quos suscepit, inquit Origenes, hom. III. in editis et excelsis fidei constituit sacramentis. Nemo enim qui ab Jesu mittitur, invenitur deorsum et humi jacens, sed in superioribus permanet?* Quia videlicet Ecclesia suos ad cœlestia desideranda et quærenda instruit et hortatur, necnon ad sublimem et spiritualem vivendi rationem vitæque perfectionem, in qua tamen eos lino humilitatis contegit, atque inobedientia et humilitate continet. Aliæ sectæ superbiam et presumptionem, catholica demissionem et timorem docet inculcatque suis, velut in sacramentorum susceptione, in disciplina christiana, legibus et censuris. Tertio, periclitantes Hebræos demisit per fenestram et montana conscendere jussit; ita Ecclesia a Christo in hodie evang. edocta, instante hæreticorum persecutione et seductione jubet suos fugere ad montes, hoc est, ad ss. patres eorumque Concilia; jubet consulere viros sanctissimos, qui ab apostolorum tempore usque ad nos vixerunt, scripserunt, Ecclesiam defenderunt; jubet inspicere eorum vitam, mores, ritus, sanctitatem, auctoritatem, libros; edocebimur et firmabimur in fide nostra catholica. Non vult adiri colliculos, Lutherum, Calvinum, Bezam, Oecolampadium, Zwinglium aliosque novatores, in quibus nihil præsidii est, sed Ecclesiæ doctores aliosque ss. patres. Quarto, Rahab in suæ suorumque salutis symbolum accepit funem et coccineum, de fenestra dependentem, Ecclesia quoque Christi symbolum fronti inscriptum, signum s. crucis habet : *Coccineus in-*

*quam funiculus, ait Rupertus, sanguineum est crucis signaculum, jugiter pingendum in fronte.* Quinto, quisquis e domo Rahab exivisset in gladium Hebræorum incurrisset, quia extra eam nulli salus erat; ita extra Ecclesiam Christi nemo salvabitur : *Qui ostium domus tuæ, inquit Rupertus in eum locum, egressus fuerit, quicumque seipsum ab unitate fidei præciderit, hæresesque ac schismata fecerit, sanguis ipsius erit in caput ejus; unde monuit Dominus in hodie. ev. Nolite exire, nolite credere.* Refert Herodotus, l. I. solitas quondam urbes integras, eorum, quos colerent deorum sanis sese funibus alligare. Hæc in modum alligemus nosmetipsos fune inconcessæ fidei ad Ecclesiam catholicam et immobilem Petri rupem : nemo nos inde abripiat.

V. Discimus quorsum nobis fugiendum sit tempore afflictionis, ad vulnera scilicet et passionem Christi meditandam. Id enim insinuat Dominus verbis illis : *Ubi cumque fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilæ,* ut exponunt Origenes, trac. XXX. in Matth. S. Hieronymus in eap. XXIV. Matthæi; siquidem corpus ibi significat cadaver, uti vox Græca ostendit. Unde Hieronymus : « Possumus corpus (quod significantius Latine significat cadaver, ab eo quod per mortem cadat) passionem Christi intelligere, ad quam provocamur, ut ubicumque in Scripturis legitur, congregemur, et per illam venire possimus ad verbum Dei. Si ergo irrationales volucres naturali sensu tantis terrarum spatii et maris fluctibus separata, parvum cadaver sentiunt ubi jaceat : quanto magis nos et omnis multitudo credentium debet festinare ad eum, cujus fulgur exit ab oriente et paret usque ad occidentem? » Quoties ergo anima nostra spiritali inedia contabescit, quoties interno solatio destituitur, quoties afflictione debilitatur aut tentatione premitur, ad corpus crucifixi advolet per ejus meditariam invocationem, ubique robur inveniet et refugium : unde S. Petrus, ep. I. c. IV. ait : *Christo igitur passo in carne, et vos eadem cogitatione armamini, q. d. in crucifixo invenietis omnis generis armaturam.* Attestantur hoc ipsum ss. patres. S. Bernardus, ser. LXII. in Cant. « Quid tam efficax, ait, ad curanda conscientia vulnera, necnon ad purgandam mentis aciem, quam Christi vulnerum sedula meditatio? » S. Bonavent. coll. VII. « Qui se intente et devote in sanctissima vita et passione Domini exercet, omnia atilia et necessaria sibi abundanter ibi invenit, nec opus est ut extra Jesum aliquid quærat. » S. Aug. in manuali, c. XXII. « Cum me pulsas, inquit, aliqua turpis cogitatio, recurro ad vulnera Christi : cum me

premit caro mea, recordatione vulnerum Domini mei resurgo : cum diabolus mihi parat insidias, fugio ad viscera misericordiae Domini mei et recedit a me : si ardor libidinis moveat membra mea, recordatione vulnerum Domini nostri Filii Dei extinguitur : in omnibus adversitatibus non inveni tam efficax remedium quam vulnera Christi : in illis dormio securus et requiesco intrepidus. » Illuc quoque aliæ multæ generosæ aquilæ sese contulerunt e femineo sexu. Maria Magdalena imprimis, omnium antesignana, quæ mortuo etiam Domino indivisibiliter adhæsit : *Cumque eo sepulto sepelivit pariter spiritum suum, ait Origenes, de S. Magd. S. Clara, quæ inter horam diei sextam et nonam, qua obiit Dominus, majori compunctione afficiebatur, et corda tredecim nodorum carnem constringebat, ut in vita ejus, c. XX. S. Coleta, quæ in feriis sextis passionem meditando videbatur sibi præ doloris vehementia, in manibus, pedibus et latere quasi clavis et lancea configi, apud Sur. tom. II. quibus accedit S. Birgitta, Gertrudis, Mechtildis, etc. Hujusmodi etiam aquilæ sunt, ad corpus Christi Domini in s. eucharistia, mortem ipsius representante, constitutum advolant, ibique nobili illo pabulo animas suas impingunt ac confortant. Ubi tamen advertendum, aquilas esse debere, non corvos, qui corpore illo saginari volunt; angelis similes, non demonibus.*

VI. Ad extremum discimus secundum Christi adventum multum discrepare a primo. Primus, a Davide, Ps. LXXI. comparatur pluvia : *Descendet sicut pluvia in vellus :* secundus, comparatur fulguri ab ipso Domino in hodierno evangelio : in primo descendit Deus occulte, sicut pluvia descendit in vellus, sensim et absque strepitu : in secundo descendet manifeste, sicut fulgur quod suo splendore complet totum hemisphaerium. Causam assignat auctor imperfecti, hom. XLIX. « In primo, inquit, adventu ideo Dominus venit corpore, ut probaret fideles : in secundo autem venit manifestus in gloria, ut remuneret fidem illorum. Ideo tunc necessarium erat, ut quæretur : nunc autem, id est, in secundo adventu non est quærendus ut credatur, sed quærit ipse a quibus creditus sit. » In primo descendit usque ad terram, quemadmodum et pluvia : in secundo descendet usque ad infimam aeris regionem, quemadmodum et fulgur : ibique sedens judicabit. Ratio, quia in primo venit in forma servi ut omnibus ministraret : in secundo venit in forma judicis, qui in sublimi sedens, omnibus esse conspicuus debet. In primo per aliquot annos commemoratus est in terris : in secundo vero

brevissimam moram faciet, et quasi in momento omnia expediet : quo modo et fulgur momentaneum est, cum vicissim pluvia duret aliquando tempore. Ratio, quia in primo venit ut instrueret et perficeret mentes hominum, quod aliquo temporis spatio fieri debuit : in secundo venit, ut revelet animos hominum, quod citissime fieri potest. In primo venit placidus, et absque ullo terrore ad placandum nobis Deum ; quemadmodum et pluvia non modo non adfert terrorem, sed potius annuntiat tempestatis mitigationem : in secundo venit tremendus, quemadmodum et fulgur communiter et post se trahit horisonum aliquod tonitru, et quandoque simul fulmen. De primo scriptum legimus : *Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, Matth. XXI. de secundo legimus : Ignis ante ipsum præcedet, et inflammabit in circuitu inimicos ejus : illuxerunt fulgura ejus orbi terræ; vidit et commota est terra. Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini, etc. Psal. XCVI. De primo scripsit Isaias, c. XLII. Calamum quassatum non conteret, et lino fumigans non extinguet, hoc est, nemini molestus, onerosus aut damnosus erit; at de secundo scripsit idem, c. XLIII. Ecce dies Domini veniet crudelis et indignationis plenus, et iræ furorisque ad ponendum terram in solitudinem et peccatores ejus conterendos, etc. In primo enim venit humilis velut judicandus, in secundo venit gloriosus velut judicaturus.*

## CONCIO X.

## MYSTERIA.

I. Quid est abominatio desolationis? — II. Quid illa verba : *Qui in tecto est, etc?* — III. Cur fuga non in hieme vel sabbato, etc? — IV. Quænam illa tribulatio omnium maxima? — V. Quinam illi pseudo-propheta et pseudochristi? — VI. Quid similitudo fulguris, quid cadaver? — VII. Quomodo sol et luna obscurabuntur et stellæ cadent? — VIII. Ad quid illa obscuratio fiet?

## THEMA.

*Qui legit, intelligat. Matth. XXIV.*

Admodum necessarium et maximi momenti est hoc Salvatoris monitum, vaticinio Daniælis annexum : *Qui legit, intelligat.* Cum enim vaticinia prophetarum, uti et ea quæ in hodierno evangelio vaticinatur Dominus partim de excidio orbis, necnon alia pleraque in Scripturis ss. abstrusa et recondita sint, sani et perspicaces requiruntur oculi ad ea discernenda atque

intelligenda. Unde enim hæreses omnes nisi ex Scripturis perperam intellectis? Propterea S. Augustin. in Ps. X. Scripturas bene intellectas comparat imbri fecundanti terram: male vero intellectas laqueis, juxta id Psal. X. *Pluit super peccatores laqueos.* Ait enim: *Cum male intelliguntur, pluit Deus super peccatores laqueos. Cum autem bene intelliguntur, fecundat pectora piorum atque fidelium.* Quamobrem non frustra sane eunuchum illum legentem in Isaiâ Philippus interrogavit: *Putasne intelligis quæ legis?* Cui ille: *Et quomodo possum si non aliquis ostenderet mihi?* Act. VIII. Rogavit igitur Philippum ut Scripturam sibi exponeret. *Qui legit igitur intelligat;* vel qui non intelligit, non legat, aut certe intelligentes consulat. Nos quoque ut hodiernum evangelium intelligamus, ss. patres et doctores consulamus.

I. Quid est abominatio desolationis? Respond. primo, ad litteram non videri fuisse aliud, quam profanationem templi Jerosolymitani, quæ facta est a Zelotis, seditiosissimis hominibus, paulo ante urbem a Tito captam, teste Josepho, l. VI. cap. I. et l. VII. cap. VI. Illi enim a zelo sibi nomen usurpantes, quasi zelum legis tuendæ profiterentur et urbis, interim flagitiis pleni templum occuparunt, et cædibus ac cadaveribus impleverunt: ita ut misilia etiam in sacerdotes sacra facientes usque ad aram caderent, et sanguis interfectorum per atria sacra stagnum quoddam conficeret: templum non jam loco sacro sed castello potius et prædonum asylo, dispositis supra id tormentis undequaque simile foret. Propter quæ Titus ipse dux ob violatum templum seditiosos arguit his verbis: « Quid in templo etiam mortuos conculcatis o nocentissimi? Aut cur templum externi et gentilis sanguinis confusione polluitis? Testor deos patrios, non ego vos violare hæc compellam. Servabo autem vobis etiam templum nolentibus si locum acies vestra mutaverit, etc. » Joseph. l. VII. cap. IV. fuisse autem hos Zelotas et templi violationem signum desolationis atque excidii testatur idem Josephus, l. V. c. II. his verbis: *Vetus quidam sermo ferebatur, tunc demum civitatem captam iri, sancta quoque flammis exurenda esse lege belli, cum seditio fuisset exorta, sanumque Dei propriæ (Judæorum) manus ante violassent: quibus Zelotæ ministros se præbuerunt.* Ita ille, qui etiam, l. II. c. XXV. ait, mox a clade Cestii, qui paulo ante Vespasiani adventum (ante sex menses) urbem vexarat, et templum oppugnavit, multos instantis Judæorum cladis conjectores urbe elapsos in alias regiones migrasse. Ex his autem fuisse Christianos testatur S. Epiphanius, hæc. XXIX.

et XXX. et Eusebius, l. III. hist. c. qui eos divinitus admonitos in urbem Pellam profugisse ait, idque constat de S. Simone Jerosolymorum episcopo. Videntur autem Judæi collegisse id ex Daniele, c. IX. de quo hic Dominus: *Erit in templo abominatio desolationis, etc.* Addit Josephus, l. VI. c. XVI. « Puto, quod si Romani contra tam noxios nostræ gentis homines venire tardassent, aut hiatu terræ devorandam fuisse civitatem, aut diluvio perituram aut fulminum, ad similitudinem Sodomæ, incendia passuram. Multo enim magis impiam progeniem tulit, quam ea fuit quæ illa supplicia pertulerat. » Quando igitur habemus abominationem, quæ desolationis fuit signum et causa, insuper in templo stetit, nec apparet alia, quæ excidium præcesserit, de ea locutus videtur, Dan. c. IX. et Christus in hodierno evangelio. Ita sentiunt Abulensis, Jansenius, Baronius.

Secundo, tropologice esse hæresin, præsertim iconoclasium, denique omne peccatum mortiferum. Etenim hæresis primo, stat in loco sancto, quia in urbe vel oppido, ubi prius floruit fides et sanctitas; occupat enim hæresis loca et templa catholicorum, eaque profanat, et in suas convertit synagogas. Secundo, est abominatio, hoc est, peccatum abominabile, ex superbia et contumacia prognatum. Propterea S. Agatho omnia sibi crimina impingi a malevolis patiebatur, solum hæreseos crimen audire noluit, quod alia peccata infirmitatis essent, hæresis autem pertinaciæ et notæ malitiæ, apud Evagr. l. II. de vitis patrum. Similiter S. Hieronymus, ep. II. ad Damasum: *Errare possum, inquit, hæreticus esse non possum.* Tertio, est desolatio seu vastatio totius boni: ecclesias convertit in stabula, altaria in mensas, vasa sacra in profana, clericos in laicos, monasteria in solitudines, sacramentorum usum in neglectum et derisum, etc. Quarto, stat velut idolum scilicet in corde hæreticorum, quod sibimet erexerunt: unde Hieronymus in Ezech. XVIII. *Idola, id est, simulacra, inquit, quæ de suo corde fixerunt, omnes hæretici faciunt.* Sua enim phantasmata colunt. Unde etiam ex uno idolo plurima alia fabricant juxta id Jer. II. *Juxta numerum civitatum tuarum facti sunt tibi dii tui Juda.* Quod certe in hæreticis nostri temporis patet: qui in singulis pene urbibus diversa dogmata sequuntur.

Propterea igitur hæresis desolationem et excidium, necnon jugum Turcicum regnis et provinciis inducit, uti jam Asiæ, Græciæ, Syriæ, Africae, cernimus inductum, cladem vero et vastitatem Germaniæ, etc. Sed et peccatum quod-

vis mortiferum abominatio talis est. Abominatio, inquam, quia Deo e diametro repugnat, nec admittitur in conspectum ejus. Quidquid etiam boni moralis fit in peccati statu, in cælum non admittitur in conspectum ejus. Denique, ipsos homines facit abominabiles, juxta id Ose. IX. *Facti sunt abominabiles, sicut ea, quæ dilexerunt.* Deinde, est abominatio desolationis, quia omnimodam vastitatem inducit animæ, corpori, fortunis ac bonis omnibus. Vastat gratiam, virtutes, merita, gloriam cœlestem, pacem conscientiæ, valetudinem corporis, famam, opes. Unde diluvium, ignis Sodomæ, bella, pestes, fames nisi ex peccato? Denique, ea stat in loco sancto, quia in animo Christiani, qui Dei templum, utpote in baptismo ei consecratum, sanctum esse debet.

II. Quid sibi volunt illa: *Qui in tecto est, non descendat tollere aliquid de domo sua: et qui in agro, non revertatur tollere tunicam suam?* Resp. primo, ad litteram indicare partim fugæ celeritatem illis arripiendam, qui salvari ab excidio vel captivitate velint, alioquin eos vix salvandos: partim calamitatis ingruentis magnitudinem, quæ tanta sit, ut quis omnia deserere, etiam vestes ac cibos debeat, quo eam evadere queat. Atque hæc monitio Judæos potissimum tangit; nam Christianos per oraculum monitos, ut fugerent antequam bellum exardesceret, scribit Eusebius, l. III. hist. c. III. nec quadrat in Christianos, quod de fuga in sabbato subjicitur; quia sabbatum non servarunt.

Secundo, tropologice notare, omni celeritate peccatum fugiendum; ne forte cum fugere velimus non possimus. Sane Titus spatia tridui totam urbem muro cinxit: ita ut nemo amplius fugere posset; quod miraculi loco habitum. Pari modo potest dæmon intra breve tempus ita illaqueare peccatorem, ut difficillime evadere queat. Mors etiam a tergo homini insidiatur: unde Ecclesiast. c. XIV. monet: *Memor esto, quotiam mors non tardat.* Sero nimis dicebant Ægyptii: *Fugiamus Israel:* cum jam in medio maris alveo positi viderunt irruere super se aquas, Exod. XIV. Itaque qui in tecto vel in agro, in mensa vel in lecto est, et recordatur se peccato inquinatum esse, ante omnia maculam eluat per contritionem, primum hoc ejus negotium sit, quia maximi momenti.

Rursum, secundum Augustinum, ep. VIII. « Qui in tecto est, non descendat, h. e. qui in spiritualis vitæ sublimitate est velut in tecto, ne descendat ad carnalem vitam. Qui in agro, non revertatur, hoc est, qui profecerat in anteriora se extendens, ne deficiendo in posteriora

respiciat, » non resumat vestem vitiorum, quam per pœnitentiam deposuit.

III. Cur orare jussi Judæi, ne fuga eorum fieret hieme vel sabbato: et cur væ prægnantibus et nutrientibus? Resp. primo, ad litteram, quia hæc sunt quatuor fugæ impedimenta et incommoditates: uterus prægnans, filius lactens, hiems, sabbatum: quo longius ire prohibitum. Etenim Judæi vel nesciebant licere sibi fugere in sabbato ut illi, I. Macch. II. qui die sabbati resistere hostibus nefas existimantes occidi ab iis maluerunt; vel certe existimabant fas quidem esse fugere, si hostes insequerentur: at non fas esse, si non insequerentur, cujusmodi erat fuga illa.

Secundo, tropologice indicat Dominus quatuor pericula eorum, qui conversionem suam differunt. Primum hiems, id est, procellosum mortis tempus; dolorum, tentationum, terrorum imbribus plenum, ideoque hominem a cura salutis avocans vel ita involvens, ut de ea vix cogitare queat: vel hiems est tempus in fide et pietate frigidum, vitiis et hæresibus infestum. Secundum, sabbatum, id est, quies et delectatio in rebus temporalibus, divitiis, honoribus, voluptatibus: amicis aliisque creaturis inordinate amatis, quæ conversionem peccatori quodammodo prohibere solent: vel sabbatum est tempus alterius sæculi, ubi fugæ non est locus, quia nec meritis. Tertium, uterus prægnans, id est, grave peccatorum pondus, hominem deorsum trahens, et respirare ac virtutis viam currere non simens: vel audax præsumptio ad peccandum concepta: vel consensus quivis in peccata patranda: vel secundum alios, desiderium conversionis inefficax. Quartum, infans lactandus, id est, consuetudo peccandi diuturna, quæ sicut infans lac a matre, ita peccata quotidie exigit a peccatore, ut quotidie, fere inebrietur, scortetur, fraudet, litiget, etc. adeoque bibit quasi aquam, (imo quasi dulce lac) iniquitatem: vel nutriens infantem est debilitas in fide et virtutibus. D. Hilarius ita hæc interpretatur: « Orare, inquit, admonemur, ne vel hieme fuga nostra, vel sabbato sit, id est, ne aut in peccatorum frigore, aut in otio bonorum operum reperiamur. » D. Greg. eadem verba sic exponit: « Videte, ne tunc queratis peccata vestra fugere, quando jam non licet ambulare. »

IV. Quænam illa tribulatio, cui similis non fuit ab initio mundi? Et quinam illi dies, qui nisi abbreviati fuissent, nemo salvus fieret? Resp. hæc intelligenda partim de excidio Jerosolymæ; ut ostendit particula enim (*Erit enim*

tribulatio, etc.) necens hanc tribulationem fugæ Judæorum: partim de persecutione antichristi et consummatione mundi, propter verba sequentia: *Statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, etc.* Non est autem statim obscuratus sol post tribulationem Judæorum, sed post persecutionem antichristi primum obscurabitur. Tres interrogationes proposuerant Christo discipuli: *Quo tempore Jerusalem destruetur sit, quo venturus Christus, quo consummatio sæculi futura sit*, inquit S. Hieronymus, et testatur S. Matthæus, c. XXIV. Et quia excidium Jerosolymæ figurabat excidium mundi, ita respondet Dominus, ut responsio utrique queat accommodari, miscetque typum cum antitypo, quia omnia prophetarum: oracula prius obscura, tunc primum patent, cum evenerint. Itaque ait Dominus similem calamitatem Judæos nunquam apprehendisse, atque illa fuit tempore excidii illorum. Deinde, toti mundo talem tribulationem nunquam accidisse, qualis erit ultima illa tempore antichristi. Ac nisi abbreviati fuissent dies obsidionis Jerosolymæ, omnes inibi Judæi fame, peste, gladio periissent: ac nisi abbreviarentur dies persecutionis antichristi, (quæ per annos tres et dimidium tantum durabit) nemo persecutionem ejus effugere posset, quin vel vitam vel una quoque salutem perderet.

V. Quinam illi pseudochristi et pseudoprophetae daturi signa magna et prodigia ad seducendos homines? Respondeo, eos fore vel æmulos vel ministros vel etiam prodromos antichristi: siquidem vera miracula non sunt edituri, sed falsa et fallacia tantum: ope non supernaturali et divina, sed naturali et auxilio dæmonum, ad decipiendos homines. Signifer et dux illorum pseudochristorum erit ipse antichristus, reliqui ejus asseclæ. Tales autem non solum futuros tempore antichristi sed etiam ante ipsum, ostendi potest ex multis impostoribus qui se Christum profiteri ausi sunt, et ad hoc confirmandum fictitia patrarunt miracula, seu imposturas potius. Hujusmodi erant hæresiarchæ plerique, qui ut sua fragmenta hominibus persuaderent, prodigia edere conati sunt, sed irritò fere et ridiculo eventu, uti Cyrola episcopus Arianus, Calvinus, Lutherus. Tales et impostores quidam alii pecuniæ corrogandæ, vel populi deludendi causa Christum mentiti: uti Kenstonius quidam Prussus, qui adjunctis sibi duo leonibus (quos apostolos suos nominabat) pro Christo se venditabat, et rusticos dementabat, varia prædicando, ægros (qui se tales simularant) sanando, occulta eorum

pandendo (ex suggestionem unius ex duodecim, qui confessiones civium excipiebat) ita ut magno passim honore exciperetur, et vulgo deus Resselinorum vocitaretur. Tandem furti reus deprehensus et suspendio adjudicatus, ultima hæc verba effatus est: *Dicite civibus Resselinis: Hac ratione Deus vester cælum ascendit.* Refert Simon Grunovius, tract. XVIII. c. XI. Vultis audire alium huic non dissimilem impostorem? « Tempore Sigismundi I. regis Poloniæ Jacobus Melstinki prætor oppidi Brezini, levitate quadam animi, auctoritatem nomenque Christi sibi adscivit, Petrumque Zatorski Cracoviensem, cæterosque sibi similes latrones duodecim elegit, singulisque nomina apostolorum imposuit, se vero Jesum Christum appellavit. Qui per villas ubique ambulantes prodigia morionum et præstigiatorum more exercebant, sycophantasque alios et latrones, velut mortuos, subornantes suscitabant, pisces in paludes lutasas primo impositos, ubi nunquam eos nasci possibile erat, in nomine Christi suismanibus capiebant, panes in fornaces imponebant, in nomineque Christi sui, cum illic ante non essent, depromebant, cum ingenti simplicis vulgi admiratione. Quodam tempore ad Cestochaviam monasterium B. Virginis imagine celebre, cum suis apostolis venit, cumque illic aliquot diebus morarentur, unum ex suis, quasi obsessum a dæmone subornaverunt, cujus opera, victum acquirebant. Ille enim per hospitia ambulans carnes de coquina rapiebat, in suosque proiebat, qui cruce illas munientes carnes comedeabant. Cumque ingens illic esset concursus populi ad B. Virginis imaginem, sycophantæ illi obsessum suum ad altare ducunt, duplici veste indutum, in cujus intercapedinem necessaria imponere posset: lapillos vero intra indusium ei imposuerunt: cumque ad altare deduceretur, ille e manibus deducentium furibundus sese proripiens, in altare donariis onustum irruit, pecuniasque rapiens in vestis duplicatæ intercapedine eas abscondit. Monachus ab altari divino intermisso officio aufugit. Cæteri monachi accurrentes cingulum ejus solvunt. Ibi lapilli dumtaxat in terram ceciderunt, pecunia vero in veste duplicata remansit. Monachi pecuniam arte dæmonis in lapillos formatam putantes, exorcismis eam in pristinam formam transformare nitentur: sed cum lapilli permanerent, monachus librum sacrum indignabundus in terram proiecit, dicens: Similem dæmonem nunquam habuimus: abite cum eo ad omnes diabolos. Sycophantæ illi cum pecunia recta in Silesiam fugerunt. Ibi apud matronam nobilem in quodam pago di-

vertentes, cum illa viro absente eos recipere nollet, saltem mappam vel telam ad sacrificandum petierunt. At mulier fasciculum telæ illis obtulit. Tunc illi: *Hanc nobiscum accipiemus, et Christus tibi benedicet, ut tibi linum abundantius crescat.* Ostende aliam, si habes: quam cum similiter accipere vellent, mulier recusavit, maritum timens. Illi autem frustulum fomitibus cum igne in telam clam involventes, mulieri reddiderunt. Itaque cista a tela, a cista vero domus accensa conflagravit. Viro domum reverso, uxor ob Christum cum apostolis male tractatum hoc sibi juste contigisse dixit. At vir ira exardescens: *Latro hic (inquit) nequissimus, et non Christus fuit.* Itaque cum vicinis eos insequitur, et in quadam villa assequitur. Tum pseudochristus ad illum, qui vocabatur Petrus, dixit: *Jam mea passio, Petre, calixque quem bibiturus sum, appropinquat. Cui Petrus: Et mihi, ut video, domine, imminet. Ille vero dixit: Petre, ego aliter non possum, nisi per fenestram, hinc evadere.* Tum Petrus: *Et ego te, quoad vivam, non derelinquam; sed, quocumque fugeris, sequar.* Ergo per fenestram aufugit, cæteri quoque apostoli, qua potuerunt, evaserunt. Rustici eos secuti baculis fustibusque cecidere, dicentes: *Prophetiza nobis, Christe, cum tuis apostolis, qua in silva baculi isti creverint.* Ergo plagis emendati vitam suam postea emendarunt, dicentes: *Difficile est nobis Christi passionem, apostolorumque tormenta subire.* Sic Poloniæ chronica Martini Bielski, in annal. et Guaguini in vita Sigism. I. et ex iis Belarius, l. II. disp. q. VIII. et Maiolus, t. II. coll. III.

VI. Quid sibi vult similitudo fulguris et corporis seu cadaveris? Resp. fulguri comparari secundum Christi adventum, primo, quia ut fulgur subito omnibus apparet; sic Christus judex repente apparebit omnibus hominibus: secundo, quia ut splendet fulgur; sic rutilabit Christus gloria majestatis suæ: tertio, quia ut fulgur in excelso aere, non in terra cernitur; ita Christus non in terra, sed in nubibus cæli conspicietur: quarto, sicut fulgur momentaneum est, et mox disparet; sic Christus judex brevi tempore, momento apparebit: quinto, fulgur horrorem incutit ob sequens tonitru et interdum fulmen; ita Christi adventus erit terribilis impiis ob sententiam condemnationis eis imminentem.

Corpori seu cadaveri comparatur idem adventus. Primo, quia sicut ad cadaver congregantur aves carnivoræ odore ejus attractæ, ita ad Christum judicem omnes homines judicandi congregantur sive angelorum ductu, sive occulta

quadam impellente vi. Aquilini pulli ad solem evchi et ungue suspendi a matre feruntur, ut solem intueantur, et qui recte intueantur, ut genuini reservari: qui ex obliquo, abjici ut spurii. Simile judicium subibunt ibi boni et mali homines; illi quia ex aspectu Christi velut amici gaudebant, assumuntur: hi quia ex ejusdem conspectu velut inimici terreantur, abjiciuntur. Quamquam electi speciali ratione aquilis ibi similes erunt, quia in sublimi aere per donum agilitatis ad Christum quasi volatu ferentur: reprobi huiusmodi repent vel raptabuntur potius. Illi corpore illo pascentur: hi famem patientur. Secundo, quia locus judicii erit in valle Josaphat prope montem Calvarie, in quo Christi corpus emortuum pependit, ut advertit D. Hilarius hic.

VII. Quomodo sol et luna obscurabuntur, et stellæ de cælo cadent? Resp. quia revera astra illa omnia subtrahent orbi lumen; sicut Apoc. c. VI. dicitur solem futurum nigrum velut saccum cilicinum, lunam velut sanguinem, stellæ de cælo casuras, sicut fleus emittit grossos, cum a vento movetur, hoc est, varios ignes, cometas, fulgetra, etc. ex aere in terram lapsura. Fiet autem obscuratio siderum, partim ex densarum nubium interpositione inter illa et terram: partim ex miraculosis eclipsibus, quæ provenient ex inusitato et irregulari colorum motu, ut vult Bened. Pererius. Cui accedit Lactantius, l. VII. c. XVI. de sole et luna scribens: *Motus extraordinarios peragent, ut non sit homini promptum aut siderum cursus aut rationem temporum agnoscere. Fiet enim vel æstas in hieme vel hiems in æstate: tunc et annus breviabitur, et mensis minuetur, et dies in angustum coarctabitur.* Partim ex suspensione concursus divini ad illuminationem astrorum necessari: unde fiet densissimæ in toto orbe tenebræ. Ita Fran. Suarez, III. p. q. LIX. a. VI. disp. LV. sect. III.

VIII. Ad quid illa obscuratio, mutatio et quasi deliquium siderum fiet? Resp. primo, ut significetur obscurari ac finire jam gaudium impiorum: ad diem quidem illorum finisse, noctem jam æternam adventare; quasi tunc dicat illis Deus, quod Ezechiel, c. XXIV. dixit: *Ecce, ego tollo a te desiderabile oculorum tuorum.* Secundo, sol induet saccum nigrum et cilicinum, ut luceat mundi et peccatorum interitum, luna vero fiet rubea instar sanguinis, ut videatur quasi pudore vultus sui, de turpissimis et atrocibus hominum sceleribus noctu præsertim, splendente luna, patratris erubescere, quod talibus dominis tam impiis servierit, et suam ad eorum scelera lucem accenderit. Tertio, sidera illa quasi metu judicii Christi venientis percussa